

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Festevangelistar - Cod. St. Peter perg. 7

Oberrhein (?), [um 1200]

Festevangelistar

[urn:nbn:de:bsz:31-13726](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-13726)



IN NAT DNI. INITIUM. SCI. FV. SCDM IOH. M.
IN PRINCIPIO ERAT



uerbum. Et uerbum erat apud deum. Et deus erat uerbum.
Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta
sunt. et sine ipso factum est nihil. Quod factum est. in
ipso uita erat. Et uita erat lux hominum. et lux in tene-
bris lucet. et tenebre eam non comprehenderunt. Fuit ho-
mo missus a deo. cui nomen erat iohannes. Hic uenit in
testimonium ut testimonium perhiberet de lumine. ut
omnes crederent per illum. Non erat ille lux. sed ut tes-
timonium perhiberet de lumine. Erat lux uera. que il-
luminat omnem hominem uenientem in mundum. In
mundo erat. et mundus per ipsum factus est. et mundus eum non
cognouit. In propria uenit. et sui eum non receperunt. Quotquot
autem receperunt eum. dedit eis potestatem filios dei fieri. his qui
credunt in nomine eius. qui non ex sanguinibus. neque ex uoluntate
carnis. neque ex uoluntate uiri. sed ex deo nati sunt. Et uerbum ca-
ro factum est. et habitauit in nobis. et uicimus gloriam eius. gloria
quasi unigeniti a patre. plenum gratie et ueritatis.



In Epiph. Dñi.

Secdm Matheū.

QUM. NATVS. ESSET

Qum natvs esset ihc in bethleem iude. in dieb' herodis regis. ecce ma-
 gi ab oriente uener' ierosolimam dicentes. Ubi e' qui
 natus e' rex iudeor'. Vidimus enim stellam ei' in ori-
 ente. & uenim' adorare eu'. Audiens au' herodes rex
 turbat' est. & omnis ierosolima cu' illo. Et cōgregans
 omnes pncipes sacerdotū & scribas ppli. sciscitabat' ab eis ubi xp̄c nasce-
 retur. At illi dixer' ei. In bethleem iude. Sic enī scriptū est p' ppham.
 Et tu bethleem tra iuda. nequaquā minima es in pncipib' iuda. Ex te
 enim exiet dux. qui regat pplm meum isrl. Tunc herodes clam uocatis
 magis. diligent' didicit ab eis temp' stelle que apparuit eis. Et mittes
 illos in bethleem dix. Ite & interrogate diligent' de puero. & cū inuene-
 ritis renuntiate mihi. ut & ego ueniens adorē eum. Qui cū audissent
 regem. abier'. Et ecce stella quā uiderant in oriente antecedebat eos.
 usq; dum ueniens staret sup. ubi erat puer. Uidentes au' stellam. gauisi s'
 gaudio magno ualde. Et intrantes domū. inuener' puerū cū maria matre
 ei. Et p̄cidentes. adorauer' eum. Et ap̄tis thesauris suis. obtulerunt ei
 munera. aurum. thus. & mirram. Et responso in somnis accepto ne re-
 darent ad herodem. per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.



4
IN Purificat. s. Marie. Secūm Luce.

OSTOVA IMPLETI

Per sunt dies purgationis ihu. secundū legem moysi. Tu-
lerunt illum in ierlm. ut sisterent eum dño. sicut
scriptum est in lege dñi. quia omne masculinū adape-
riens uulua. sc̄m domino uocabit. & ut darent hostiam.
secundū quod dictum est in lege dñi. par turturū. aut
duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in ierlm. cui
nomen symeon. & homo iste iustus & timoratus. expectans
cōsolationem isrl. & sp̄s sc̄s erat in eo. Et responsum acce-
perat a spiritu sc̄o. non uisurum se mortē. nisi prius uide-
ret xp̄m dñi. Et uenit in sp̄u in templum. Et cum inducerent puerū
ihm parentes ei. ut facerent sc̄dm consuetudinē legis pro eo. & ipse
accepit eum in ulnas suas. & benedixit deum et dixit. Nunc dimittis
seruum tuum domine. secundū uerbum tuum in pace. quia ui-
derunt oculi mei salutare tuum. quod parasti ante faciem omnium
populorum. lumen ad reuelationem gentium. et gloriam plebis tue isrl.



Fragment of text from the adjacent page, including the words "Et quia dicitur" and "Et quia dicitur".

In Annunt. s. MARIE. Scdm Lvc. In ill. t.

ISSVS. EST. ANGELVS



gabriel a deo. in ciuitate galilee. cui nomen na-
 lareth. ad uirginem desponsatam uiro. cui no-
 men erat ioseph de domo dauid. & nom uirgi-
 nis maria. Et ingressus angelus ad eam dix. Aue
 gratia plena. & domini tecum. & benedicta tu in mulieribus. Que cum au-
 disset. turbata e in sermone eius. & cogitabat qualis esset ista salutatio.
 Et ait angelus ei. Ne timeas maria. inuenisti enim gram apud dm. Ecce
 cepies in utero & paries filium. & uocabis nomen ei ihm. Hic erit mag-
 nus. & fili' altissimi uocabitur. Et dabit illi dñs ds sedem dauid patris
 eius. & regnabit in domo iacob in eternum. & regni eius n̄ erit finis. Dixit
 autem maria ad anglm. Quomodo fiet istud. quō uirū non cognosco.
 Et respondens angls. dixit ei. Sp̄s sanctus supueniet in te. & uirt' altis-
 simi obumbrabit tibi. & quod nascetur sc̄m. uocabit' filius dei.
 Et ecce elisabeth cognata tua. & ipsa cepit filium in senectute sua.
 Et hic mensis est sextus illi que uocatur sterilis. quia non erit impossi-
 bile apud deum omne uerbum. Dixit autem maria. Ecce ancilla dñi.
 fiat mihi secundum uerbum tuum.




MARIA
MAGDALENE.

INDIE. S. Pasche.
Sedm Marcu.

Initt t.

et maria iacobi & salome. emerunt aromata. ut
uenientes unguerent ihm. Et ualde mane una
sabbatoꝝ ueniunt ad monumentū. orto iam
sole. Et dicebant ad inuicem. Quis reuoluet no-
bis lapidem ab ostio monumenti. Et respicientes. uiderunt reuolutū
lapidem. Erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentū.
uiderunt iuuenē sedentem in dextris. cooptum stola candida & obstu-
puerunt. Qui dicit illis. Nolite expauescere. Iam queritis nālarenum.
crucifixum. Surrexit. non est hic. Ecce locus. ubi posuerunt eum.
Sed ite dicite discipulis eius & petro. quia precedet uos in galileam.
Ibi eum uidebitis. sicut dixit uobis.





IN ASCENSU DNI.
SECUNDUM MARCV. **I**N ILLO T. **S**

ECUMBENTIBUS VNDUM



discipulis. apparuit illis ihc. & exprobaunt incredulitatem illorum & duritiam cordis. quia his qui uiderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis. Euntes in mundum uniuersum. predicare euangl. omni creature. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. qui uero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderunt hec sequentur. In nomine meo demonia eicient. linguis loquentur nouis. serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint. non eos nocebit. Super egros manus imponent. & bene habebunt. Et dominus quidem ihc. postquam locutus est eis. assumptus est in celum. & sedet adextris dei. Illi autem profecti. predicauerunt ubiq. domino cooperante. & sermone confirmante. sequentibus signis.







In die sc̄o Pentec̄. Sec̄m Ioh̄m.

In illo t. **D**ixit dñs ih̄c discip̄. s̄.
IOVIS. DILIGIT. ME.

sermonem meum seruabit. Et pater m̄s diliget eū.
& ad eum ueniet. & mansione apud eum faciemus.
Qui n̄ diligit me. sermones meos n̄ seruat. Et sermonē
quem audistis n̄ est m̄s. sed eus qui misit me pater.
Hec locutus sum uobis. apud uos manens. Paraclytus autem sp̄c sc̄i. quem
mittet pater in nomine meo. ille uos docebit omnia. & suggeret uobis
omnia. quecumq; dixerō uobis. Pacem relinquo uobis. pacem meam do
uobis. Non quomodo mundus dat. ego do uobis. Non turbetur cor uestrū.
neq; formidet. Audistis. quia ego dixi uobis. uado & uenio ad uos. Si dili
geretis me. gauderetis utiq; quia uado ad patrem. quia pater maior me
est. Et nunc dixi uobis priusquam fiat. ut cum factum fuerit credatis.
Iam non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius. & in me
non habet quicquam. sed ut cognoscat mundus. quia ego diligo patrem.
& sicut mandatum dedit mihi pater: sic facio.

9
IN NAT APLOX PETRI & PAULI. Scdm Math.

In ill. t.

ENIT IESVS IN



partes cesarey philippi. et interrogabat discipu-
los suos dicens. Quem dicunt homines esse filium
hominis. At illi dixerunt. Alu iohannem bap-
tam. alu autem helyam. alu uero ieremiam. aut
unum ex prophetis. Dicit illis ihc. Vos autem que-
me esse dicitis. Respondens symon petrus dixit. Tu es xpc filius dei uiui.
Respondens autem ihc. dixit ei. Beatus es symon bariona. quia caro &
sanguis non reuelauit tibi. sed pater meus qui in celis est. Et ego dico
tibi. quia tu es petrus. & super hanc petram edificabo ecclesiam meam.
& porte inferi non preualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauis reg-
ni celorum. Et quodcumq; ligaueris super terram. erit ligatum in celis.
et quodcumq; solueris super terram. erit solutum & in celis.








IN ASSUMPT. S. MARIE. SEDM LUCAM.

IN ILLO T.

INTROIT

IESVS IN QVODDA

castellum. & mulier quedam martha nomine. excepit illum in domum suam. Et huic erat soror: nomine maria. Que etiam sedens secus pedes dñi. audiebat uerbum illius. martha autem satagebat circa frequens ministerium. Que stetit & ait. Dñe. non est tibi curę. quod soror mea relinqt me solam ministrare. Dic ergo illi ut me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus. Martha martha. sollicita es & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit. que non auferetur ab ea.



IN NATIVIT. S. MARIE. IN TIU. S. F. V. Sedin Math



IBER: GENERATIONIS

ihu xpi filu dauid. filu abrahā. Abrahā genuit ysaac.
 ysaac aū gen iacob. iacob aū gen iudam & fr̄ ei. iudas
 autē gen phares & lara de thamar. Phares aū gen esrom.
 esrom aū gen aram. Aram aū gen aminadab. aminadab
 autē gen naasson. Naasson aū gen salmon. salmon aū gen bool de tachab.
 B ool aū gen obeth ex rith. obed aū gen iesse. Iesse aū gen dauid regē. dauid
 aū rex gen salomonē. ex ea que fuit urie. Salomon aū gen roboam. roboā
 autē gen abia. Abia aū gen asa. asa aū gen iosaphat. iosaphat aū gen iora.
 ioram aū gen oliā. Oliā aū gen ioathā. ioathā autē gen achāl. Achāl autē
 gen elechiam. elechias aū gen manassen. Manasses aū gen ammon. amon
 aū gen iosiam. iosias autē gen uechonā & fr̄ ei. in transmigratione babylō
 nis. Et post transmigrationē babylonis. uechonias gen salathiel. Salathiel
 autem gen lorobabel. lorobabel aū gen abiud. abiud aū gen eliachim.
 eliachim aū gen alor. Alor aū gen sadoch. sadoch aū gen achim. Achim
 autē gen eliud. eliud autem gen eleālar. Eleālar autem gen mathan.
 mathan autem genuit iacob. iacob autem genuit ioseph. iurum ma
 rie. De qua natus est ihc. qui uocatur xpc.





12
IN DEDICAT⁴ ECCL⁴E. SECUN²DUM
CAM S¹ IN ILLO T.¹

INGRESSUS IHE PAMIBV AB IERICHO.

Et ecce vir nomine Zachaeus. et hic erat princeps
publicanorum. et ipse diues. Et querebat uide
re ihm quis esset. et non poterat pre turba.
quia statua pusillus erat. Et precurrens. ascen
dit in arborem sicomorum ut uideret illum.
quia inde erat transiturus. Et cum uenisset
ad locum. suspiciens ihe uidit illum. et dixit
ad eum. Zachae festinans descende. quia ho
die in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit. et excep
pit illum gaudens. Et cum uiderent omnes inuenerunt. dicentes. quid ad
hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachae. dixit ad dnm. ecce
dimiduum bonorum meorum dno do pauperibus. et si quid aliquem defraudaui. red
do quadruplum. At ihe ad eum. Quia hodie salus domui huic facta est.
eo quod ipse filius sit abrahae. Venit enim filius hominis. querere et
saluum facere. quod perierat.



Infestavit. Omnium Scōz.
Sedm Matheū. **I**n ill. t.



IDENTENS

IHC TURBAS. ASCENDIT

in montem. Et cum sedisset. accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum. docebat eos dicens. Beati pauperes spiritu. quoniam ipsorū est regnum celorum. Beati mites. quoniam ipsi possidebunt

terram. Beati qui lugent. quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam. quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes. quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde. quoniam ipsi deum videbunt. Beati pacifici. quoniam filii dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam. quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati estis. cum maledixerint uobis. & persecuti uos fuerint. & dixerint omne malum aduersum uos. mentientes propter me.

Gaudete & exultate. quoniam merces uestra copiosa est in celis.